



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Insignis victoria de Mauris in Hispania Deiparæ præsidio reportata anno  
718. nu. 49

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

## INSIGNIS VICTORIA DE MAVRIS IN

*Hispania Deiparæ præsidio repor-  
tata anno 718.*

*Mauri à  
Pelagio I.  
in Hispania  
Deiparæ  
opere de-  
bellantur.*

*Mariana.*

*Lucas Tu-  
densis.*

49. **N**ec minor fuit victoria, quam sequenti anno 718. Pelagius I. post occupatam à Saracenis Hispaniam, Hispaniæ Rex, ab Hispanis, qui apud Astures confugerant, creatus, de ipsdẽ Saracenis Deiparæ invocatione retulit. Cum enim ad Ausenæ montis speluncam munitam, in quam cum mille ex suis militibus se receperat, innumera Saracenorum multitudo contra eum venisset. Cumque Oppa Archiep. Toletanus, (vel juxta Marianam lib. 7. c. 7. Hispalensis.) Maurorum nomine magnis pollicitationibus deditorem ei suaderet inter alia, quibus non minus pie, quam fortiter eum à se repulit, hæc eum respondisse affirmat Lucas Tudensis. *Confidimus, inquit, per intercessionem gloriosæ Virginis Genitricis eiusdem Domini nostri Jesu Christi à Saracenis saluari, & ipsa adiuvante, quam mater misericordiarum est genitrix Gothorum de panis, qui sunt in ista spelunca vestrauri, sicut ex paucis granis infinita segetes germinarunt, quibus dictis Pelagius, & qui cum eo erant tanto hoste perterriti incluserunt se in spelunca, B. Mariæ suffragia experientes eius ibi memoriam venerabantur, & pro recuperatione Christianorum orationibus insistebant. Verum Saracenorum fundibularis, sagittarijs, & iacentibus iacula portam speluncæ ferire conantibus, lapides, iacula, & sagittæ ab eis emissa contra eoldem retorquebantur maxima edita ipsorum strage. Saracenos ergo turbatos, & retrocedentes Pelegius Dei gratia corroboratus stricto ense inuadens Oppam cepit, Saracenorum 20. millia cum Aleman eorum Duce interfecit. 60. mil. verò qui remanserant ex Ausenæ montis fastigio in Libanensem agrum delata ad Deuæ fluminis ripam parte montis vicini sponte concussa, & ab imo usque collapsa, teste Mariana loc. cit. in subiecti fluminis aquas præcipitarunt, strages atomorum, offiumque ibi confossa, & reiecta, cædis indicio fuisse memoratur. Spelunca verò illa Deiparæ memoriæ dicata, eiusque nomine dicta est S. Maria de Conadouga. hæc ex Tudensi.*

## SARACENI TARSICEMORANTES DEI-

*paræ intercessione ingentis cladis  
profugantur.*

50. **I**n Oriente verò Saracenorum Princeps, qui Tarsi imperabat, cum ad Andream Ducem Basilij Imperatoris Constantinopolitani, qui regnare cepit anno Dom. 867. misisset (inquit Curopolates Græcarum rerum historicus) literas superbiæ, & maledictionis plenas, & hæc indicantes: *Nunc video an Mariæ filius, eumque Parens tibi proderis, cum contra tecum meo exercitu progrediar.* Quas literas conuicij plenas acceptas ipsi imagini Dei Genitricis appendit, hæc locutus: *Vide, ô Mater Dei, tu quoque ipse filius, & Deus, qualia expræbrauit, & superbe dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans.* Quibus dictis assumptis Romanis copijs contra Tarsum proficiscebatur, & cum ad Podandum peruenisset ibi cum hostibus congressus multa caede fundit, & fugat barbarorum multitudinem, cum prius ibi eorum Dominus occubisset; pauci verò vix se Tarsum incolentes recipiunt; sepultus autem suis, & hostibus in vnum locum coactis, magisque erecta ad posterorum memoriam columna in patriam redijt cum socijs. hæc Curopolates.

DEIPARA AD RECVPERANDAM AB  
*infidelibus Ierosolymam in-  
uocata.*

51. **V**Rbanus II. Pont. Max. anno Do. 1095. in Claremontesi Concil. sacram expeditionem Christianorum in Terram sanctam ad eripiendam de manibus infidelium Ierosolymam magno studio indixit, utque res hæc difficillima optatum consequeretur effectum. Dei Genitricis apud Christum patrocinium enixè implorandum censuit; quare in eodem Concilio rogata Patrum sententia egit, ut horarum illarum preces, quæ vulgo B. Virginis Officium dicuntur, apud Monachos Eremitas institutione Petri Damiani recitari ceptas ad clericos etiam deducerentur, quod quidem à sancta Synodo Vibano agente ea occasione indictum & à Clericis pie suscepit, ad Laicos quoque tum viros, tum mulieres magno eorum bono, ut omnes experti sumus, est propagatum, teste Baronio co. *Ierosolyma per Diocetiam recuperata.* *Pet. Dam.* *Baronio*